

qui ergo asserere potuit: certe quis hæreseos reus sit, authentice decidere nemo valet? contradictionis vitio hæc asserta laborant, sed et manifesti erroris. Item ex verbis: « Veritatem quisque se sequi credit, et demonstrationis tam ambigua hic penes plerosque lux est » colligitur D. Pfaffium forte de illo genere hominum esse, qui nulla auctoritate moveantur, qui nihil credunt, nisi quod argumentis invincibilibus verum esse didicerint. At nihil novum nobis ille proponit; jam multo ab hinc tempore ab iis, qui extra Ecclesiam sunt, hoc loquendi idioma percepimus.

(9. Sed nonne tanta libertas, seu potius licentia credendi a primordio reformationis (ut vocant) in tantam continuo confusionem erupit, ut vereri non immerito, qui uni parti adhærebant, debuerint, processu temporis, tot futuras religiones, quot erant regiones, tot credentium diversa corpora, quot urbes, et familiæ, et pene quot capita? Intervallo enim tam modico Lutheri asseclæ in tot se schismata disciderant, ut nisi modus denique positus esset, totum sic dictæ reformationis mysterium in primo sui exordio dissolutum fuisset.

(10. Qui autem hodie, prout DD. Pfaffio, et Balsero bonum videtur, nulla penitus auctoritate stringuntur, sed prout iudicio humano, et ingenio quisque proprio sibi formam credendi præscripserit, sic credunt, illi in tantam confusionis abyssum feruntur, ut syncretismum induentes, religionem susque deque habeant. Eorum nonnulli pro arbitrio Scripturas sacras interpretantur, aut omnino ex iis expungunt, reformant, vilipendunt, et in nihilum redigunt. Sunt iterum alii, qui deploranda animi cæcitate ipsum adeo baptismi sacramentum non necessarium docent, atque ita, quod hactenus cum tanta religione observatum est tanquam primum Christianitatis fundamentum, ad interitum sui, suorumque, e pectoribus eliminant. Nota loquor, et ea, quæ dudum Protestantium viri cordati, quosque Augustana confessio tenet, e medio tolli magnopere vellent, et ut fiat, magnis viribus allaborarunt. Non ergo me pudet in eorum numero censeri, qui almæ antiquitatis, sanctæ puritati, sinceræ veritati, universæque catholico corpori, summisque capitibus se submitunt.

(11. Denique, inquit doctissimus Banniza, pro resolutione objectionis primæ finaliter adhuc addimus, et monemus, haud esse metuendum, quin « Ecclesia in speluncam latronum sit degeneratura, » si ut recte statuit *Tridentinum*, sess. xxiv, viri pietate morum, scientia, et doctrina Evangelii, historiæ ecclesiasticæ, ac conciliorum fide præstantes eligantur, qui a via veritatis aberrantes suaviter reducant telis doctrinæ, pietatis, et sapientiæ; cum pertinacibus intrepide, cum falso zelo illis pie, ac benigne, cum frigidis serio, cum dubiis clare, ac confidenter, cum omnibus discrete, et prudenter tractare studeant, ac norint, et quibus vera sæpius religio calumniose de-

pingitur, falso præconceptas opiniones adimere allaborent.

(12. Ad id vero, quod a Pfaffio additum vidimus, respondet: 1º Idem præclarus jurisconsultus, distinguendo: Christus legem hanc prohibitivam de zizaniis non evellendis in Evangelio dedit, *absolute* nego. *Conditionate* tantum, ne cum zizaniis evellere-tur simul et triticum, atque ut si cesset hoc periculum, zizania sint eradicanda, concedo antecedens. Distinctionis ratio patet ex dietis, num. 4. Respondet 2º indirecte, retorquendo in adversarium, quæ adjecit: « Divinæ majestati reservatum jus est, sententiam authenticam in iudicio extremo et dicendi, et exsequendi; » non tantum in hæreticos, sed etiam in quoscunque scelestos et peccatores; ergo magistratui politico in hoc mundo non competit facinorosis pœnas irrogare capitales, quod vellent Anabaptistæ, Sociniani, et fanatici; nequiquam Tubingensis cancellarius Pfaffius, si sapit. Deinde, quod probe notandum est: et humanæ majestatis jus est, non quidem religionem quamcunque suæ qualicunque contrariam exterminandi, sed religionem veram defendendi, propagandi, etsi non armis cogendo infideles, attamen armis fideles protegendo, desertores, apostatas, hæresiarchas, tanquam lupos, et reipublicæ perturbatores arcendo, et coercendo.

(13. Urget tamen Pfaffius prohibitionem Salvatoris generalem ex hoc factam capite, quia præviderat ille, fore, ut in dijudicatione tritici et zizaniorum tantopere olim errarent homines, loco zizaniorum, vel cum zizaniis evulsuri triticum. Monet præterea verba textus esse plane emphatica: *Sinite utraque crescere usque ad tempus messis*. Eodem, ait, itaque modo ab evellendis zizaniis abstrahenda manus est, uti ab evellendo tritico: maxime, cum, si violentis modis eradicarentur dissentientes in fide, nullaque ipsis subinde concederetur tolerantia privilegiata, excitarentur bella, ipsos quoque eradicatores interneccioni datura.

(14. Verum frustra hæc omnia; licet etiam prohibitio patrisfamilias: *Nolite colligere zizania*, quoad externam verborum figuram sit generalis, ex mente tamen expressa *ne eradicetis simul cum eis et triticum*, hanc suscipit limitationem, ut si possint zizania absque tritici simul destruendi periculo extirpari, sint eradicanda. Quod autem modo dixi de prohibitione patrisfamilias, eam non esse absolutam, sed conditionatam, ἀναλογικῶς quoque ad ejusdem præceptum: *Sinite utraque crescere*, tractatum volo. Ut enim verba textus emphatica sint, ex iis non sequitur eodem modo ab evellendis zizaniis abstrahendam esse manum, uti ab evellendo tritico. Non significant illa verba: *Sinite*, etc., eodem pretio, et loco utraque, hoc est zizania, et bonum semen habere, etc. Equidem non sunt evellenda zizania, si absque periculo eradicandi simul et tritici, evelli non possunt, nimirum, si vel dignosci nequeant, prima enim germina zizaniorum, et tritici similia sunt:

¶ I si discernantur equidem, radicibus autem a tritici mistæ et zizaniorum radices sint, ut unis evulsis evellantur et alteræ. Sed præstabit ipsam Bannizæ dissertationem

consulere a Cl. Antonio Schmidt recusam, tom. III sui *Thesauri juris ecclesiastici*, pag. 464 seqq. Vide etiam, quæ a nobis dicta sunt supra verb. TOLERANTIA RELIGIONIS.

## APPENDIX

### SACRARUM CONGREGATIONUM DECRETA

PRO REBUS NOTATU DIGNIS JUXTA SERIEM VOCUM HUIUS SEPTIMI TOMI DIGESTA

## S

### SACRAMENTUM

#### SACRÆ PŒNITENTIARIÆ RESPONSUM.

Beatissime Pater: N. confessarius in Gallis, S. V. humillime consulit, num ipse queat et debeat absolvere illos ecclesiasticos qui se subjicere recusant condemnationi, quam Sancta Sedes edidit, quatuor celeberrimarum propositionum cleri Gallicani.

Ita multæ tollentur questiones, et conscientiæ quiescent. — Respondit per sacram Pœnitentiariam, ut sequitur: « S. Pœnitentiaria, diligenter perpensa proposita quæstione, respondendum censuit, Declarationem con-

ventas Gallicani anni 1682, ab Apostolica Sede improbatam quidem fuisse, ejusque conventus acta rescissa, et nulla atque irrita declarata, nulla tamen theologicæ censuræ notam doctrinæ Declaratione illa contentæ inustam fuisse: propterea nihil obstare, quominus sacramentali absolute donentur sacerdotes illi, qui bona fide, et ex animi sui persuasione doctrinæ illi adhuc adhærent, modo absolute digni aliunde videantur. Datum Romæ, in sacra Pœnitentiaria, die 27 Sept. 1820. Michael cardinalis de Petro, Major Pœnitentiarius. »

#### SEDES

#### SACRÆ CONGREGATIONIS RITUUM DECRETUM.

Tolerari non debet consuetudo, sive corruptela, occasione concionum sedere in

gradibus altaris majoris targa vertendo SS. Sacramento, sit, vel non expositum, die 20 Sept. 1806.

#### SUSPENSIO (158)

## T

### TABERNACULUM

#### SACRÆ CONGREGATIONIS RITUUM DECRETUM.

Eliminandos abusus superimponendi sanctorum reliquias, plasque imagines tabernaculo, quo augustissimum Sacramentum asservatur. — S. R. C., die 31 Martii 1821.

#### SACRÆ CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETUM.

Si quandoque privata ex causa SS. Eucharistia exponenda videbitur, tabernaculo nunquam extrahatur; sed pyxis velata

(158) Non possunt episcopi inconsulta Sede Apostol. omnibus simul unius conventus confessariis, jam a se, vel a suis antecessoribus approbatis adimere facultatem audiendi confessiones, licet ex rationabili causa aliquos suspendere eis liceat ex Const. *Superna* Clem. X. Si tamen omnes simul suspenderentur, crederem eos interim tuto audire

non posse confessiones, cum censuræ etiam nullæ, puta ex defectu jurisdictionis, timendæ sint, saltem in foro externo, propter scandalum, populo non certiorato de earum nullitate. Sic doctissimus Giraldi, *Exposit. jur. Pontific.*, lib. 1 *Decret.*, tit. 51, append. 3, n. 6, pag. 121.



in aperto ejusdem tabernaculi ostio cum assistentia alicujus sacerdotis stola, et superpelliceo induti, et cum sex saltem luminibus

## TERTIARI, TERTIARÆ

*Instructio edita a sacra Congregatione de Propaganda fide quoad Tertiarias, præsertim pro sacrarum Missionum regionibus.*

« Cum diuturna experientia eminentissimi PP. non sine gravi mœrore edocti sint; non levia inter ordinarios locorum, et superiores regularium de Tertiariis, earumque exemptione, ac juribus in dies oriri dissidia, ea potissimum causa, quod Pontificum Constitutiones omnes hac de re non satis sint notæ, ac privilegia a Sede Apostolica Tertio ordini concessa non probe intelligantur: ne malum hoc diutius perseveret, in locis præsertim Missionum, in quibus pacis, et concordie vinculum inter clerum sæcularem et regularem maxime conservatum oportuit ad cavendum a fidelium scandalis, ab infidelium blasphemis, et ab hæreticorum, schismaticorumque calumniis, iidem eminentissimi PP. in congregatione generali habita die 2 Augusti 1762, provide decreverunt, instructionem aliquam esse adornandam, in qua excerpta veterum decretorum summa, et norma in causis occurrentibus ab omnibus servanda contineatur. »

« Pro ejus decreti executione, ut ordine procedatur, primo illud præ oculis habendum, hic non agi de Tertiariis, quæ Latini ritus non sint; hujusmodi enim mulieres e missionariis Latinis cujusvis ordinis aut instituti, minime licere ad habitum Tertii ordinis suscipiendum admittere; quinimo et admissæ si quæ fuerint, ab iisdem missionariis curandum esse, ut quantocius susceptum habitum deponant sub pœnis Apostolicæ Sedis arbitrio subeundis, jam declaravit sacra congregatio decreto edito in congregat. gen. sub die 9 Maii 1737, et a san. mem. Bened. XIV approbato, quod sic se habet: »

« Referente eminentissimo et reverentissimo Domino Domino cardinali Tamburino ponente, litteras R. P. D. Patriarchæ catholici Armenorum Cæcilie, quibus querebatur, Patres Terræ Sanctæ plures mulieres Armenas ad habitum Tertii ordinis admisisse, easque insolita in illis regionibus veste indutas incedere, aliaque in iisdem litteris plane exposita peragere, unde gravia mala, scandala, et incommoda oriebantur; ideo orabat, ut aliquod opportunum remedium adhiberetur; eminentissimi Patres, re mature perpensa, censuerunt, consulendum esse Sanctissimo, ut præcipiat Patribus Terræ Sanctæ, aliisque religiosi viris cujuscunque ordinis, et instituti, ne mulieres cujuscunque ritus Orientalis admittant ad habitum Tertii ordinis, vel ad alium quemcunque ejusmodi; admissas vero habitum jam receptum quamprimum deponere, et veste illius regionis, in qua degunt, communi

cereis collocetur. Quod idem in ecclesiis regularium servari mandamus. Die 9 Decemb. 1820.

« uti omnino eurent, sub pœnis Sanctitati Sæ bene visis.

« Facta autem per R. P. D. Nicolaum Antonelli secretarium sanctissimo Domino nostro in audientia eodem die habita de supradictis omnibus relatione, Sanctitas Sua sententiam sacre congregationis in omnibus approbavit, eamque servari mandavit sub pœna privationis vocis activæ, et passivæ, non obstantibus Apostolicis constitutionibus, statutis, consuetudinibus etiam auctoritate Apostolica confirmatis, aliisque in contrarium quibuscunque. Datum Romæ, die et anno, quibus supra. »

« Cum igitur ad unius Latini ritus mulieres, regularium circumscripta facultas intelligatur, primum est, habitum Tertii ordinis professas, duas in classes referre: alteram earum, quæ simul collegialiter vivunt, alteram vero earum, quæ seorsum suis in domibus degunt.

« Quoad primas explorata res est, privilegiis Tertii ordinis minime frui etiam illas, quæ votum simplex castitatis emiserint, nisi vota solemnia nuncuparunt, et clausuram sancte religioseque custodiant: quamvis enim ejusmodi privilegiis olim fruerentur vigore constitutionum Leonis X, quarum altera incipit: *Dum intra*, altera incipit: *Nuper*, ea tamen privilegia diserte revocata leguntur a san. mem. Pio V, constitutione quæ incipit: *Cura pastoralis officii*, in qua districtius cautum est, ne Tertiariis, quæ vota solemnia non emittunt, et clausuræ lege obstrictæ non sint, usquam collegialiter vivere liceat; quod etiam a Gregorio XIII, plane confirmatum est constitutione, quæ incipit: *Deo sacris virginibus*.

« Fatendum quidem est, his non obstantibus, et hætenus fuisse, et adhuc esse conservatoria quædam, ubi Tertiariæ collegialiter vivunt, etiam si nec solemnia vota emittant, nec clausuræ lege teneantur; at cum ea ab Apostolica Sede tolerata, non approbata esse intelligantur, ut religiosæ domus canonice erectæ haberi non possunt, sed potius ut domicilia fundata contra mentem Sedis Apostolicæ, et contra decreta Pontificum Pii V et Gregorii XIII. Ideoque certis privilegiis, quæ non nisi clausis Tertii ordinis monasteriis propria sunt, carere omnino necesse est: quomodo enim Apostolicæ Sedis indultis et gratiis frui possent, quæ contra ejusdem Apostolicæ Sedis mentem sine clausura et votis solemnibus adhuc tamen collegialiter vivunt? Sequitur ergo, hujusmodi Tertiarias jurisdictioni ordinarii integre solideque subjectas manere.

« Quod huc usque deductum est juxta doctorum omnium sensum, luculentissime docuit san. mem. Benedictus XIV, *Institut. eccles.* 105, num. 76, ac constanti stylo rescribere sacre Urbis congregationes, quarum celebriora duo afferre decreta abs re non erit. »

« Primum nempe sacre congregationis Concilii, in una *Lauden.* die 27 Maii 1677. In qua quidem causa, cum de Tertiariis oppidi Cottonei vota quedam simplicia castitatis, paupertatis et obedientiæ emittentibus, sine solemnitate tamen, et sine clausura, ageretur, proposito dubio: « An mulieres hujusmodi subsint visitationi, et correctioni episcopi? sacra congregatio, audito procuratore generali Patrum reformatorum Sancti Francisci, sub quo rum cura vivebant, respondendum censuit *Affirmative*. »

« Alterum vero est sacre congregationis Concilii, in una *Lunen. Sarzanen.*, die 30 Januarii 1723. In qua quidem cum de mulierum, assumpto habitu Tertii ordinis Sancti Francisci, collegialiter in conservatorio Massæ viventium, exemptione disceptaretur, sacra congregatio de more rescripsit: « Conservatorium esse subjectum omnimodæ jurisdictioni episcopi, citra tamen approbationem sacre congregationis quoad dictum conservatorium: » in quo quidem decreto, eodem temporis, ac loci vestigio, quo ejusmodi mulieres subjectæ declarantur omnimodæ jurisdictioni episcopi, ne probari sub ea forma viderentur hujusmodi conservatoria, verbis adjectis, *citra approbationem*, solertissime cautum est; adeo sacre congregationis mens ab ejusmodi collegiis sine votorum solemnitate, et sine clausuræ lege fundatis vel ipsa specie probandis aliena est.

« Disciplinam hanc aliquantulum immutavit Benedictus XIII, nonnullis constitutionibus editis, nimirum ea, quæ incipit: *Paterna*, altera, quæ incipit: *Exponi nobis*, tertia denique, quæ incipit: *Pretiosus*, quarum dispositione Tertiariæ, quæ sine solemnibus votis, et sine clausuræ lege collegialiter viverent, a jurisdictione episcoporum subductæ, in jurisdictionem, et curam Superiorum ordinis redierunt; at vix defuncto laudato Pontifice, ejus successor Clemens XII, constitutione, quæ incipit: *Romanus Pontifex*, sublatis iterum ejusmodi gratiis et privilegiis, pristinam de Tertiariis ordinario subjectis disciplinam restituit; in ea quippe sic expresse habetur: « Statuimus, et decernimus de omnibus, et singulis prædictis litteris, et constitutionibus, quæ ab eodem antecessore nostro Benedicto prodierunt, nec non de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus in iisdem contentis eam deinceps decisionem ac judicium etiam in foro conscientiæ habendum, quod sive ex jure communi, sive ex concilio, sive ex decretis et constitutionibus apostolicis, sive ex aliis legitime habebatur, antequam eadem litteræ, et declarationes

« ab eodem Benedicto concessæ fuissent, « perinde scilicet ac si illæ non emanassent; « ad quam dispositionem, ejusque pristinum statum, ac terminum omnia superius enuntiata omnino reducimus, et reducta esse volumus; ita ut in posterum supradicti ordines regulares earumdem litterarum et constitutionum usu, commodo, et effectu penitus carere debere intelligantur. » Ex quibus sane verbis colligit Benedictus XIV, *Institut. eccles.* 105, num. 76: Redit in pristinum ordinariarum jurisdictionem supra Tertiarias collegialiter sine votorum solemnitate, et sine clausuræ lege viventes; eademem de causa ut nobis subjectas eas libere visitavimus.

« Gradum nunc faciendo ad alteram Tertiariarum classem, quæ seorsim suis in domibus degunt, majoribus privilegiis olim gavisas eas fuisse compertum est, inter quæ præcipua numerantur: 1° privilegium fori, quod tamen locum non habet in locis missionis, ubi vix religio toleratur; 2° ut Patribus illius ordinis, cujus regulam profitentur, sua peccata in sacramento penitentiae aperire liceret, quanquam ab ordinario non approbatis; 3° ut communionem Paschalem in eorundem regularium ecclesia recipientes, præcepto Ecclesiæ satisfacerent; 4° ut ab iis etiam Viaticum, atque extremam unctionem in exitu vitæ possent percipere. Hæc tamen omnia successivis temporibus a Summis Pontificibus, atque a sacris Cardinalium congregationibus, pluribus editis constitutionibus, et decretis, penitus sublata, atque ad terminos juris communis redacta sunt, ut late Fagnanus, in cap. *Omnia*, num. 64, *De pœnit. et remiss.* ex S. C. rescripto refert his verbis: « Cum fratres monasterii Sancti Dominici de Lugo Imol. diocesis declarari postulassent, an ipsis liceret præsertim ex suis privilegiis audire confessiones virorum, et mulierum professorum tertii ordinis Sancti Dominici, eisque in Paschate sacramentum Eucharistiæ ministrare, Viaticum præbere, atque extremam unctionem ministrare; sacra congregatio consideravit, præsupposito, quod hujusmodi professi eodem jure censeantur cum aliis professis tertii ordinis Sancti Francisci, de quibus in gloss. in Clem. *Cum ex eo*, De sentent. excommunicat., eorum non esse aliquam religionem, seu modum quemdam vivendi approbatum a Sede Apostolica, nec dici plene translatos ad ordinem, ita ut desinant esse de sæculo. card. in Clem. *Per litteras*, num. 9, De præb. Quod cum ita sit, non magis horum, quam aliorum sæcularium confessiones prædictos religiosos audire posse, juxta cap. 15, sess. xxiii, ubi privilegiis quibuscunque derogatum est, et amplius derogatio habetur in Bulla Pii IV revocatoria omnium privilegiorum sub quibusvis formulis, in his, quæ sacro Tridentino concilio sunt contraria; ex quo sequitur, tales religiosos non esse priores sacerdotes horum professorum; ac proinde non posse eisdem sacramentum



« pœnitentiæ, vel Eucharistiæ in Paschate ministrare, juxta cap. *Omnis utriusque sexus*, De pœnitent. et remiss., idemque juris esse de Viatico: siquidem præcedente confessione exhiberi debet cap. 7, *De præpar. quæ adhibenda est*, etc., sess. XIII, in decreto *De sanctissimo Eucharistiæ sacramento*. De extrema unctione non esse judicium congregationis, sed tamen constare ejus administrationem, sicut aliorum sacramentorum, pertinere ad parochum, de cujus parochia dicuntur esse tales professi, nisi speciali privilegio sint exempti.»

« Latius hoc ipsum Benedictus XIV, ex Pontificum constitutionibus inter se collatis, et S. C. decretis, deducit *Institut. eccl.* 105, num. 67, et sequent. his verbis: « Si Leonis X constitutio vim totam et integram obtineat, hæc Tertiariæ privatim vitam agentes, ab episcopi jurisdictione prorsus immunes esse deberent; eos sibi confessarios deligere possent, qui ad monialium confessiones, non vero sæcularium excipiendas probantur: ad parochiam accedere non tenerentur, ut Paschali præcepto satisfacerent: tandem a præfectis suis regularibus extremam unctionem percipere, et post mortem in Ecclesia sui ordinis sepeliri jure possent; sed aliter se res habet: nam Leonis X constitutio ad certos quosdam limites est redacta a Summis Pontificibus, qui deinde Sedem apostolicam tenuerunt. Cum hæc mulieres revera non habeantur regulares, eo quod tribus votis solemnibus non astringantur; ideo non censentur immunes illo modo ab episcopi facultate... » Iusuper de his mulieribus Tertiariis hæc sac. congregatio Concilii decernit: « Sacra congregatio Cardinalium concilii Tridentini interpretum sæpius respondit, minime posse sacerdotes regulares mulierum Tertii ordinis, quas de pœnitentia, vel *pinzocheras* vocant, confessiones sacramentales audire, nisi fuerint ab ordinario approbati ad confessiones personarum sæcularium audiendas, quemadmodum nec posse illis sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum administrare in die Paschatis Resurrectionis sanctissimi Domini Nostri Jesu Christi. » Item ex epistola sacre congregationis pro causis episcoporum, et regularium constitutæ, ad episcopum Mutinensem die 17 Junii, anno 1639, hæc in ipsas Tertiarias sancita deprehenduntur: « Circa Tertiariam similiter censuerunt (nempe cardinales sacre congregationis) permissum haud fuisse fratribus ejusdem monasterii ob quodcumque privilegium ordinis administrare ipsi sacramentum divinæ Eucharistiæ, et extremæ unctionis, neque ejus cadaver domo efferre indicata funebri pompa, sine parochio, aut sine ipsius licentia: nam hæc revera ad parochos pertinent, qui debent assiduo, sed hoc præsertim tempore, cognoscere, juvare, accuratoque studio fideles sibi traditos instituere. Accedit, quod Tertiaria licet nuncupatis votis, claustrum

« non tenebatur, sed domi suæ intra Parochiam ejusdem ditionem habitabat. »

« Possunt tamen earum cadavera sepeliri in ecclesiis sui ordinis, si locus Tertiariis designatus seorsum existat: sin minus, in parochiali ecclesia, ut cæterarum cadavera, sepelienda sunt.

« Lucrantur etiam indulgentias, gaudentque aliis spiritualibus gratiis ordini annexis, quem profitentur, statim ac ad habitum tertii ordinis, ac ad votum simplex castitatis a superioribus regularibus admittuntur, quibus hanc facultatem ex Apostolicæ Sedis indulto reservari compertum est.

« Non tamen ad omne mulierum genus hæc facultas extenditur, sed ad eas duntaxat, quæ conditiones a sacris congregationibus rite præscriptas habuerunt: nimirum ut honestis, probisque moribus fulgeant, ut annos quadraginta saltem attingant, ut necessaria ad congruam vitam sustentationem bona possideant, ut non nisi cum consanguineis vel affinibus in primo gradu cohabitent.

« Hujusmodi autem conditionum examen, et judicium non ad superiores ipsos regulares, sed ad locorum ordinarios pertinere Summi Pontifices decreverunt; adeo ut recte subjiciat Benedictus XIV, *loc. cit.*: « Quare si quod proprium est, unicuique tribuatur, ad præfectum regularem spectat religiosum habitum his mulieribus impertiri: ad episcopum vero facultatem tradere, et præscriptas condiciones accurato examine cognoscere. »

« Hæc omnia, quæ exacte tradit Benedictus XIV, c. *Institut.* 105, sacre congregationis Episcoporum et Regularium negotiis præpositæ decreto edito sub die 10 Decembris 1616, disertissime sanciuntur; sic enim § 5: « Præterea si contingat, aliquas ex prædictis Tertiariis sine sepultura electione decedere, eas sic decedentes ita demum in ecclesiis ordinis, cujus habitum assumpserunt sepelire debeant, si in ipsis earum communis sepultura reperitur; sin minus, in ecclesiis parochialibus sepeliendas esse decernit. » Superioribus autem regularibus sufficienti facultate ad id a sancta Sede Apostolica suffultis (Cappucinis exceptis) libere mulieres ad hujusmodi habitum recipere, atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinere; non autem ad habitum admittendas, et recipiendas esse, nisi probatæ vitæ, ac bonis moribus præditas, ac in ætate saltem quadraginta annorum constitutas, quæ de proprio habeant, unde sufficienter vivere possint, et non cum aliis viris, quam consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis cohabitent, et ab ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, nisi de prædictis prævio examine diligenti sibi constiterit.

« Universa hæc iterum a sacra congregatione Concilii confirmata sunt; nam episcopo Mazaræ quærenti, anno 1727: Quænam sint conditiones requisitæ, ut regulares habeant

tes facultatem dandi habitum suæ religionis mulieribus non collegialiter viventibus, dictum habitum dare possint, et an examen dictarum facultatum pertineat ad episcopum? sacra congregatio Concilii respondit: « Examen facultatam concedendi habitum pertinere ad Sedem Apostolicam, examen conditionum quoad mulieres vestiendas et licentiam vestiendi pertinere ad ordinarium, et conditiones vestiendarum esse expressas in decretis generalibus alias editis, et hæc decreta esse omnino servanda. »

« Ad normam hujusce decreti subjecta hac formula episcopi uti consueverit, qua mulieri facultatem assumendi habitum Tertii ordinis concedere testificantur.

« Dilectæ nobis in Christo N. salutem, et benedictionem in Domino. Ut tu, quæ bonis moribus imbuta, bonæque frugis, ac laudabilis vitæ existis, in ætate annorum quadraginta constituta, propria bona, ex quorum fructibus honeste vivere vales, possides, et non cum aliis viris, quam cum tuis consanguineis, vel affinibus in primo gradu constitutis habitas, prout hæc omnia nobis prævia informatione constare fecisti, habitum Tertii ordinis S. N., quem postulasti, suscipere possis per R. P. N. ordinis provincialem, illum tibi conferendi licentiam et facultatem concedimus et impertimur. In quorum, etc. Datum, etc.

« N. episcopus N. »

« Ex quibus omnibus consequitur, quam recte sacra congregatio de Propaganda fide in congregatione particulari habita die 31 Augusti 1761, per modum decreti generalis servandi in toto regno Hiberniæ inter alia rescripserit pro Tertiariis nullo modo licere regularibus admittere ad habitum, nisi servatis servandis, et de licentia ordinarii: aliter admissas declaretur ab episcopis, nec esse Tertiarias, nec ullis gaudere privilegiis, aut indulgentiis.

« Etiam si vero ejusmodi casus occurrere aliquando possit, in quo potius expedire videatur adolescentulam aliquam habitu Tertii ordinis ante præfixam ætatem, quodam veluti tegumento securitatis assumpto a

periculis liberare, quam medias inter insidias inermem relinquere: non ideo sequitur fas esse superioribus regularibus sine licentia episcopi, vel vicarii Apostolici puellas ad habitum suscipiendum admittere: consulant ipsius in hujusmodi casibus loci ordinarius, qui se facilem pro sui prudentia, atque adeo conscientia, motus ipsius periculi gravitate, præbebit. Nec expedit semper in adolescentulis votum castitatis cum habitus susceptione conjungi, quin potius ad ætatem provectorem quandoque differri; ab ea quippe longius abesse illa, sive pericula, sive scandala, quæ ferventiori, quam prudentiori zelo agitante, possunt oriri.

« Hæc habet sacra congregatio, quo dissidia ac jurgia hisce de rebus in posterum tollantur, iisque sublatis, unitas spiritus, et vinculum pacis inter operarios vineæ Domini conservetur. Et ut maxima, quæ in terris a Domino relicta est, potestate roborentur, SS. D. N. P. Clementi XIII, feliciter regnanti legenda, considerata, probanda curavit, et idem SS. D. hæc omnia lecta, considerata, probata, auctoritate apostolica confirmavit.

« Confidit in D. J. sacre congregat. hinc superioribus regularibus ad normam instructionis hujusce ambulantis, inde locorum ordinariis, et vicariis apostolicis ad aliorum jura servanda sollicitis, collatis utrinque studiis, illud concordiæ gluten coaliturum, quo, qui ex adverso sunt, nihil habentes malum dicere de eis, vereantur magis, et domus Dei, quæ est Ecclesia, ipsa unitate terribilis, ut castrorum acies ordinata, fideles lætitia, infideles, hæreticos, schismaticos rubore suffundat.

« Quam sacre congregat. instructionem Sanctissimo Domino Nostro Clementi XIII, per me infrascriptum secretarium ejusdem sacre congregationis relatum in audientia habita die 16 Januarii, anno 1763, Sanctitas Sua benigne in omnibus approbavit, et omnino servari mandavit. Datum ex Aëdibus sacre congregationis die 17 mensis et anni quibus supra. »

M. Marefusus, secretarius.

## V

### VICARIUS GENERALIS

#### SACRE RITUUM CONGREGATIONIS DECRETUM.

Capitulum cathedralis Isernien. S. Rit. C. sequentia dubia enodanda proposuit. 1° An vicarius generalis ad cathedralem cum episcopo accedens, in pontificalibus, aliisque sacris functionibus uti possit, eique apponendum sit stratum, et pulvinar? 2° An eidem vicario generali accedenti vel ad dandum canonicis possessionem, vel alia quacunque de causa, præstanda sit honorifica associatio duorum canonicorum? 3° An eidem, ut in dubio 2 accedenti ministrandum

sit ad fores ecclesiæ aspersionem ad instar episcopi? S. Rit. cong. in ordinario cœtu ad Quirinale adunata respondit, *Negative* in omnibus ad formam decretorum, nimirum, *ad primum*, juxta decretum in una urbe Venetana præminentiarum, diei 3 Augusti 1737; ad dubium 2, quo nec pulvinar, nec stratum vicario generali deberi statuitur; et confirmatur in una Melphiten. Præminentiarum, diei 10 Decemb. 1740, ad dubium 7. — *Ad secundum, et tertium*, juxta decretum